



Johann Philipp Bauermeister

De Systemate Socinianorum Dogmatico

Commentatio Secunda : Pentecostes Solemnia Pie Celebranda Indicit

Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCCXXXI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015765084>

Band (Druck) Freier  Zugang  OCR-Volltext

PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

D. JOANNES PHILIPPUS BAUERMEISTER

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

H. T. RECTOR.

INEST:

**DE SYSTEMATE SOCINIANORUM DOGMATICO
COMMENTATIO SECUNDA.**

**ROSTOCHII
LITERIS ADLERIANIS.**

MDCCCXXI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

§. 5.

*De deo, ejus attributis, nexu eum inter et mundum
intercedente atque trinitate.*

Exiguus a Socino theologiae locus conceditur. Nam, solius morum disciplinae ratione habita, ea tantum de deo ejusque natura scitu necessaria obtinet esse, quae pertineant ad voluntatem divinam ac conferant aliquid ad cogitationes et actiones nostras ad eam conformandas, quo vitae aeternae compotes fiamus; reliquorum ejus generis perscrutandorum et perspiciendorum opera supersedens (1). Sicque, postquam deum *unum* esse, (h. e., solum ex se ipso divinum imperium in nos habere) adfirmavit,

(1) Christianae religion. instit. pag. 651. An non necesse est ad cognitionem istam (nempe unius dei, qui viam ad vitam aeternam nobis proposuerit et Jesu Christi, per quem eam proposuerit) novisse — quaenam sit dei Christique natura sive essentia? Resp. Ejusmodi notitia eatenus tantum est necessaria, quatenus sine ipsa nec dei per Christum erga nos voluntatis nosse, nec nos ad eam conformare possimus.

aeternitatem, justitiam, sapientiam (h. e. rerum scientiam et notitiam) et *potentiam* tantummodo ei tribuit. *Aeternum* autem eum esse, ut credamus, necesse est, a quo vitam aeternam tanquam ab ejus primo auctore speramus, sine qua spe nullo modo ea praestare possumus, quae, se a nobis velle fieri, deus per Christum patefecit; atque idcirco nobis persuasum esse debet, deum esse *maxime justum* (i. e. rectum et aequum), si ei, ut per Christum jussit, obedire velimus, primum ut certi simus, deum, quae nobis sibi obedientibus promisit, ea etiam omnino praestiturum, deinde ut in tentationibus, quae Christi praeceptis parere volenti multae et gravissimae accidunt, perpetuo persuasum habeamus, nullam prorsus iniquitatem ex ipsius dei parte esse, quod ita nos affligi sinat; praeterea *summam* rerum omnium *notitiam* deum habere a nobis statuendum est, ne ullo modo dubitemus, quin ipsa sensa interna nostra, ex quibus potissimum obedientia nostra aestimanda est, illi notissima perpetuo sint. — Id denique omnibus est in promptu, cur *potentissimus* deus habendus sit. Quis enim sibi persuaserit, deum, ut primum ejus rei auctorem, nobis vitam aeternam dare posse, nisi simul crediderit, ejus facultatem, ea quae velit, faciendi, nullis limitibus esse circumscriptam? Quis illa ingentia mala subiret, quae deo per Christum obedientibus subeunda sunt, nisi persuasissimum haberet, omnia esse in ipsius dei manu, nec sine ejus nutu et voluntate ista accidere posse, nihilque istorum aut quidvis aliud sive in coelo sive in terra

esse, quod ullam vim habeat impediendi, quominus deus ea praestare possit, quae promisit et ab eo exspectamus. (2)

Subit mirari, quod, etiamsi omnia, rerum scientiam eamque nullis limitibus circumscriptam deo tribuere Socinus haud dubitet, tamen voluntariarum hominum actionum praevisionem s. praescientiam non admittat. Contendit enim, non modo non posse eam probari, verum contrarium etiam facile ostendi. In qua quidem disputatione multum ille somniat, ut saepissime sagacitatem et ingenii acumen desideres. Ad illam rationem, qua praevisionem tuentur, quod deo sint omnia praesentia, quia ipse temporis non subjectus, sed in aeternitate perpetuo sit, in qua nihil prius nihil posterius, eoque nil praeteritum, nil futurum, sed omnia praesentia, respondet, deo quidem omnia esse praesentia, verum ea, *quae aliquo modo sint*, namque non entium nullas esse qualitates, atque ea, quae nec fuerint, nec sint, nec certo futura sint, nullo modo esse. Ejusmodi autem esse voluntarias hominum actiones, quae nondum revera exstiterint (!). (3) — „Nec vero in deo ullum est vitium aut imperfectio, etiamsi quaedam eum scire adfirmari nequeat, quippe quia res illae nulli scientiae sunt obnoxiae, nec ullam omnino passivam scientiam admittunt. — Adeoque praenotio ista tantum abest, ut aliquid deo tribuat, ut potius illi non-

(2) Conf. Christ. rel. instit. pag. 651 et 652. Catech. Rac. Quaest. 51 - 71.

(3) Praelectt. theoll. cap. VIII. (pag. 545. col. 1.)

nihil adimat i. e. curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliqua saltem ex parte tollat atque obscuret et otiosum quodammodo eum reddat. Nam quid adtinet deum, quae ab hominibus fiunt, perpetuo contemplari atque animadvertere, si ea jam antea novit, quae fient?“ (!!) (4) Sacrae Scripturae autem locos, qui vel in universum testantur, deum, quae fiunt, jam antea certo novisse, vel de singularibus quibusdam dei praenotionibus agunt, unde rerum omnium eum praescientiam habere recte colligitur, aut ita tractat, ut adhortationem potius boni faciendi et mali vitandi contineant, aut, praedictionem ex verisimilibus tantum esse, nempe ex conjectura (!!), non ex praenotione, ob idque non certam, statuit, aut, si de bonis operibus certo praevisis est sermo, ea a dei decreto pendere adfirmat, aut denique, si certa malefacti praedictio inest, ipsum quidem opus a deo decretum esse contendit, sed non animi malitiam; in qua re tractanda ita versatur, ut deum peccati saepe auctorem faciat. (5)

(4) pag. 546. col. 1.

(5) Exempla illustrabunt, quae diximus. In explicando loco Gen. 17, 18. 19. Socinus sic: secundum vulgatam editionem sic scriptum est: Dixitque dominus, num celare potero Abraham, quae gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam et robustissimam et benedicendae sint in illo omnes nationes terrae. Scio enim, quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam domini et faciant iudicium et justitiam, ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quae locutus est

Sic nulla ratio nec ullus Sacrarum Litt. locus ei prostat, ex quo colligere liceat deum omnia, quae fiunt, scivisse, ante-

ad eum. Ex quibus domini verbis satis constare videtur, ipsum de Abrahamo quaedam praenovisse ex eorum numero, quae minus praevideri posse videantur, quae scilicet ipsius hominis voluntatem requirunt, quale sine dubio est factum istud praecipendi filiis suis etc. Nam si ea ipsa, quae hominis voluntatem omnino requirunt, praenovit deus, quidnam evenire potest, quod ille non praenoverit? Pro responsione animadvertendum est primum, in iis, quae hominis voluntatem omnino postulant, distinguendum esse inter bona et mala. De malis postea videbimus. Bona autem ideo possunt saepe a deo praesciri, quia nihil impedit, quo minus deus certus auctor sit multorum bonorum, quae voluntarie, i. e. non coacte, quamvis necessario (!) ab homine fiunt, hoc enim est, deum illorum esse auctorem. Locus autem de bonis manifeste loquitur. Deinde sciendum est, perperum conversum fuisse a vetere interprete locum istum etc. *In fine sic pergit:* Demique nulla causa est, cur deus dicere non potuerit, se scire quid facturus esset Abrahamus, etiamsi id certo non praenoverit (!!). Inducitur enim deus saepissime humano more loquens, praesertim cum ea in re nihil est periculi. Solent autem homines adfirmare, se ea futura scire, quae *plane verisimile est* futura esse et quorum necessariae causae jam adsunt, licet illae, priusquam ea fiant, cessare possint; quemadmodum jam aderat, etiamsi cessare poterat, summa illa Abrahami pietas, quae causa necessaria erat eorum, quae ibi facturum esse Abrahamum, deus adfirmavit. — *Ad locum Deut. 31, 16 et 20 obvium, ubi deus diserte Mosi praedicat futurum, ut populus ipso mortuo sectetur deos alienos, seque derelinquat et irritum faciat foedus, quod cum eo pepigisset, sic ille disputat:* Hic de futuris malis seu

quam fierent; adeoque rationes sibi invenisse videtur, unde praescientiam negandam esse appareat. Inter quas ad eam

peccatis agitur, quae ideo deo ita nota fuisse adfirmare, quia futura omnino decrevisset, impium prorsus videri debet, praesertim cum ipse minetur, se propter peccata illa graviter populum multaturum. Reliquum est igitur, ut idcirco ea praenoverit, quia cuncta, quae fiunt, ante cognita habeat. Responsio ex his colligi potest, quae modo a nobis disputata sunt. Neque enim ideo peccata ista deus futura praedixit, quia ea certissime futura nosset, sed *quia sic plane verisimile erat.* Quibus, paucis verbis interjectis, haec *in fine addit:* Adde, quod *monere* potius, quam certo aliquid praedicere voluit deus; et solemus nos, cum puerum ab aliquo errore committendo plane deterrere volumus, illi asseverare, ipsum omnino in errorem illum lapsurum esse, ut tanto diligentius sibi caveat, ne duplici deinde pudore suffundatur, et quod errorem commiserit, et quod licet praemonitus sibi non caverit, et in tacita quadam cum praemonitore concertatione succubuerit. *Vid. Soc. Opp. Tom. I. p. 547.* Et pag. 548. col. 1. Tanquam, *ait*, locum unum adferre possumus praedictiones non paucas, quae in Nov. Test. leguntur, de adventu falsorum doctorum et prophetarum, ut ipsius Antichristi Matth. 24, 5. Marc. 13, 6. Luc. 21, 8. Act. 20, 29. 2 Thess. 2, 3. etc. Quis enim negare poterit, ea, quae de ipsis praedicantur, gravia esse peccata et summa scelera? Pro responsione considera: deum solere falsos prophetas excitare, ut tentet atque exploret suos, quemadmodum colligi potest ex iis, quae scripta sunt Deut. 13, 3. id quod propter alias quoque causas ipsum facere declarant Sacrae Literae, et Paulus ad Thesselonicenses 2 Thess. 2, 10. 11. 12. scribens discrete ait, deum iis, qui pereunt missurum esse operationem erroris, ut credant mendacio. Igitur potuit deus per divinos viros, perque ipsum

potissimum attendendum esse censeat, quod si deus cuncta infallibili prorsus scientia novisset, quae ab hominibus fiant, nulli dubium esse posset, quin omnia antequam fiant jam in se ipsis certa sint. „Quomodo enim deus illa certo praenovisse posset, si ipsa incerta essent? Et sane omnes, qui praenotionem istam dei adserunt, fatentur idcirco deum aliquid certo praenosse, quia id certo futurum sit. Jam vero cum nullus effectus sine sua proxima causa sit, quaero, quaenam proxima causa sit istius certitudinis? Homo ipse profecto ejusque voluntas esse non potest, cum neque haec neque illa adhuc sit. Siquidem dei praenotionem istam, et sic rei futurae certitudinem, non modo ortum hominis, qui eam rem facturus sit, antecedere volunt, sed ab omni aeternitate eam fuisse contendunt. Oportet igitur aliam esse causam: si deum esse dixeris, deum omnium scelerum auctorem facies; sin aliud quidpiam, aliud etiam principium praeter deum agens atque intelligens constitues; quorum utrumque plane impium ac blasphemum est.“⁽⁶⁾

Christum, adventum falsorum prophetarum praedicere, non quia id praevidentia inexplicabili praenosset, sed *quia sic futurum decreverat*“ etc.

- (6) Pag. 549. col. 2. Alio loco [pag. 545. col. 2. obvio aperte declarat, praescientia divina humanam libertatem penitus tolli. Ibi enim „ex ratione, inquit, adversariorum. — colligitur, eos nolle libertatem hominis et dei praenotionem istam simul consistere posse, quod nos quoque non modo fatemur, verum etiam — urgemus atque contendimus,

De *ratione* quidem s. *vinculo* deum inter et homines caeterasque res sensuum ope percipiendas intercedente idem tradunt Sociniani, quod est ab omnibus ecclesiae christianae partibus acceptum, nam omnium rerum et creatorem et gubernatorem deum dicunt; sed discrimen summi momenti in eo

quatenus id, quod deus certo praescivit, ut certum jam in se ipso sit, necesse est, hominisque libertatem a se penitus excludit. Jam vero si libertas omni homini adimatur, ea omnia absurda sequuntur, quae enumerata sunt a nobis, et deus nonnullorum (?) vitiorum eorumque gravissimorum turpissime insimulatur. Cum Socinus omnia ad morum disciplinam referat, quod etiam e verbis praecedentibus patet, non absurdum est, conicere, timorem ejus, ne ista notio moribus excolendis detrimento esset, potissimum in causa fuisse, cur praescientiam penitus ex divinis attributis excluderet. *Crellius*, Socinianorum si non doctissimus, at certe acutissimus, verbis quidem divinam rerum futurarum praevisionem tuetur, re vero tollit. Statuto enim discrimine inter certo s. necessario futura (*ἐσόμενα*) et non necessario s. contingenter futura (*μέλλοντα*) illa determinate a deo praesciri contendit, haec indeterminate; namque si deo haec quoque determinate cognita essent, se ipsum falleret, quia ejus cognitio a re, qualis sit, abhorreret. (Vide *Crellii Opera* Tom. III. pag. 46.) Sed indeterminata ista scientia quidnam aliud esse potest, quam conjectura s. illa Socini e verisimilibus praenotio? Adeoque, ut haec doceret, permovit eum eadem, quae Socinum, ratio; nam Tom. III. pag. 68. „si omnia, inquit, futura, qualiacunque sint, deo ab omni aeternitate cognita fuisse, contendas, necesse est, statuere, omnia necessario fieri ac futura esse; unde sequeretur, nullam esse aut fuisse unquam humanae voluntatis libertatem ac porro nec religionem.“

est, quod, tres esse in una divina essentia personas, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, prae fracte negant, adeoque dogma illud perniciosum declarant esse, quod unius dei fidem facile labefactet et convellat, quod gloriam unius dei obscuret, dum eam ad alium transferat, quod viam salutis subvertat, cum inter primam et secundam salutis causam discrimen tollat, nec, quis sit primus salutis nostrae auctor, et quemadmodum eam deus per Christum et Spiritum S. efficiat, recte cognoscere sinat, denique quod alienis a religione Christiana magno sit, ne eam amplectantur, impedimento, quia ea, quae veritati divinae et rationi sanae adversentur, contineat. (Cat. Rac. Quaest. 89.) *Falsam* autem esse ecclesiarum christianarum hac de re sententiam, ita probare student, ut repugnantiam inesse confirmet, et haud contineri in Sacris Libris dicitent, itaque, quae in contrariam partem excitantur et explicantur S. S. effata, ea illi sic interpretantur, ut vel ipsis faveant vel ad rem dirimendam nihil faciant. Quod ad prius adinet, Socinus essentiam sive naturam intellectu praeditam non discernendam esse a persona statuit, unde ab eo colligitur, unam etiam numero esse in deo personam nec ullo pacto plures; nam si plures divinae personae essent, plures etiam divinas essentias oportere esse. (7) Quam argumentationem ad unum omnes

(7) Soc. Opp. Tom. I. pag. 652. (Christianae relig. inst.) Essentia, quae aliud re ipsa est a persona, non est ea, quae numero est essentia et prima essentia seu substantia nominatur. Jam dei essentia est una numero,

ejus sectatores repetunt. In refutandis autem argumentis e. S. S. ad trinitatis dogma stabiliendum petitis monent, ex iis dictis, quae Patrem, Filium, Spiritum Sanctum simul commemorent, *prioris* classis testimonia a dogmaticis nominari solita, quamvis id quidem pateat, esse Patrem, Filium et Spiritum S., tamen non demonstrare id, in quo disputationis cardo versetur, *tres* esse personas et unam earum *naturam s. essentiam divinam*. Pertinet huc locus ille nobilis, mandatum baptismale exhibens, apud Matth. 28, 19. et 1 Cor. 12, 4. 5. 6. de quorum explanatione vide Cat. Rac. Quaest. 82—77. Sed ad dictum illud, quondam pro classico habitum, 1 Joh. 5. 7., non provocandum censent, utpote spurium, id quod externis argumentis facile demonstretur. At multo majore difficultate premi se videbant, cum ad explanationem eorum dictorum ventum esset, quae *alteri classi* adscribuntur, atque in quibus de tribus personis sigillatim exponitur. Haec enim, quia in eis *nomen dei, virtutes divinae et operationes cultusque* Filio vel Spiritui adtribuuntur, magna arte et subtilitate tractanda erant, ne orthodoxorum sententia confirmaretur, qui *naturam* etiam illorum

non autem specie, nec quidquam habet deus cum secunda illa essentia commune, sed tantum cum prima, quae, ubi est intellectu praedita, idem prorsus est cum persona. Cf. Tom. I. pag. 281. 511 et 527. ubi de contradictione, quam in orthodoxorum sententia reperisse sibi videtur, uberius tractat. Vide quoque Catech. Rac. Quaest. 72.

debere esse divinam, inde concludebant. Ita autem rem expediunt. Quamquam, *Dei nomine* Christum in Novo Test. insigniri, largiuntur, (8) tamen essentiam ipsam illius, cui tribuatur, eo significari negant, esse enim nomen appellativum, quo in hebraica lingua, cujus idiotismis referta sint ipsa Novi Test. graeca scripta, significetur potentia et inde potestas, et idcirco eos, qui potentia aut potestate praediti sint, deos in sacris literis vocari; ita ut non modo angeli, sed ipsi homines, qui munere aliquo cum potestate quadam conjuncto fungantur, dei nomine decorentur (9) Ad quem vocis significatum auctoritate fulciendum, Socinus laudat Ps. 8. et 97. neque aliter eam de Jesu usurpari in S. S., documento ei est Joh. 10, 35. 36. Longum est, omnia S. S. loca recensere, ex quibus Christi *virtutes divinas*, sive jure sive injuria, orthodoxi extricarunt, a Socinianis tanquam nihil probantia vel spreta vel ita explicata, ut, quod ecclesia invenisse sibi visa esset, id

(8) Cat. Rac. Quaest. 78. Socin. Opp. Tom. I. (Relig. Christ. instit.) pag. 655.

(9) In Cat. Rac. Quaest. 78. vocis *θεός* significatio arctioribus quidem limitibus est circumscripta, sed, si rei summam spectes, eodem redit. Ibi enim legitur: Ea vox, deus, duobus potissimum modis in Scriptura usurpatur: Prior est, cum designat illum, qui in coelis et in terra omnibus ita dominatur et praestet, ut neminem superiorem agnoscat: Ita omnium auctor est et principium, ut a nemine dependeat. Posterior modus est, cum eum denotat, qui potestatem aliquam sublimem ab uno illo deo habet aut deitatis unius illius dei aliqua ratione particeps est.

minime erueretur. Quam ob rem in iis adferendis acquiescere lubet, quae illi potissimum in auxilium vocarunt, hi tanto fortius quasi impugnarunt. Quo pertinent ante omnia ea effata, ex quibus Christum, si non ab aeterno, tamen priusquam homo in terris appareret, exstitisse, ita patet, ut nemini, nisi verum videre nolenti, sacrorum scriptorum sententia sit obscura. Principio ad Joh. 1. 1. adnotant, quo hunc locum ad suam mentem trahant, vocem ἀρχή, quamvis absolute positam, semper ad subjectam materiem referri, nec significare unquam (!) ipsam per se rerum omnium initium, sed, si quando in SS. Litt. id significet vel subjectam materiam vel aliquam aliam vocem ei adjunctam hujus rei esse causam. Subjectam autem materiam esse *evangelium* h. e. bonum illum nuncium a deo profectum de peccatis humano generi remittendis deque aeterna vita ei donanda. — Deinde voce ὁ λόγος designari Christum, ejus nominis ea causa sit, quod omnem dei voluntatem et consilium nobis exposuerit, (10) ut enunciationis ἐν — λόγος is sit sensus: Jam eo tempore, quo Johannes baptista praedicare (bonum illum nuncium adferre) coepit, Jesus Christus voluntatis dei erga hominum genus patefaciendae muneri praefectus erat. (!) Verba seqq. autem καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν ab Evangelista addita, ut, qua ratione jam tum Jes. Christus interpres divinae voluntatis esset, melius declararet, ac simul ei occurreret, si quis non recte illum pro eo tempore Verbum

(10) Soc. Opp. Tom. I. (Chr. rel. inst.) pag. 662. col. 1.

appellasse objiceret, cum nondum re ipsa munus istud Jesus Christus obire coepisset. Itaque subjunxisse Johannem: non quidem apud homines, sed apud deum, talem jam tum eum fuisse. ⁽¹¹⁾ Ne vero his verbis in errorem te induci passus προῦπαρξιν a Socinianis haud negari opineris, monendum mihi est, eos Christum, fabulari, *postquam natus sit homo* et antequam munus sibi a deo Patre suo demandatum obire inciperet, in coelum divino consilio atque opera adscendisse, et aliquamdiu ibi commoratum esse, ut illa ab ipso deo audiret, et praesens apud ipsum videret, quae mundo mox annunciaturus et patefacturus ipsius dei nomine esset. ⁽¹²⁾ Insanum istud commentum in omnes eos locos inferunt, ubi Christum vel *deum vidisse* (Joh. 6, 46.), vel *e Patre audivisse, quae traderet* (Joh. 8, 26. et saepius) vel *in coelo fuisse* aut *inde descendisse* et similia Scriptura docet, v. c. Joh. 6, 62. Joh. 3, 13. At nullus istius usus poterat esse in eo dicto, quo tempus definitur, quoque se *ante Abrahamum* exstitisse, Jesus profitetur, Joh. 8, 58. Quocirca, missa ista fabula, hunc in modum id torquent. Post Aoristum γενέσθαι, pro praes. cum futuri significatione (!) sumtum, repetunt voc. Ἀβραάμ, collatoque Rom. 4, 11. mysticum ei, alium scilicet atque quo praecessit, sensum quasi obtrudunt. Denique verba πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι non cum v. εἰμι, sed λέγω arcte jungunt, ut ὅτι, quod poterat a Christo addi, non ante πρὶν suppleatur, sed demum post γενέσθαι. Sicque totius effati haec est sententia: „Dico vobis

(11) Soc. Opp. Tom. I. pag. 663. col. 1. et 2. Cf. Cat. Rac. Quaest. 104.

(12) Socin. Opp. Tom. I. pag. 663. col. 2. Cf. Cat. Rac. Quaest. 180. 195.

priusquam Abraham existat multarum gentium pater (h. e. priusquam pagani doctrinam meam sectentur et divina gratia ad eos transferatur), me esse Messiam.“ Cujus effati ut nexum demonstret, Socinus addit: quemadmodum Christus alios monuit Judaeos, ut ambularent, dum lucem haberent, et saepius illis non obscure minatus est, futurum, ut gentibus daretur regnum dei, ipsi vero eo privarentur, sic hoc loco non sine tacitis minis monet eos, ut, antequam gentibus fidei ostium aperiatur, agnoscant, se esse Christum. Atque hac ratione, dum illi eum in verbis capere conantur, (neque enim dixerat ipse, se vidisse Abrahamum, ut ab illis ei objiciebatur, is, ex nomine Abraham occasione sumpta, quasi interim tamen ad ea responderet, quae sibi objecta fuerant, alio, id est ad sibi propositum ab initio scopum, sermonem detorquendo, eos mirifice deludit. (13). Prostant praeterea haec Christi verba, quibus Socinianos oppugnabant. Is enim patrem orans ait Joh. 17, 5. *νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ἣν εἶχον, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί.* Sed mirantur isti, adversarios ita caecutire, ut non videant, nihil aliud velle Christum, quam ut, quae ante mundum conditum a Patre suo *decreta* fuerit gloria, ea decoraretur; nam *haberi* aut *datum* esse saepius aliquid dici, quod

(13) Soc. Opp. Tom. II. pag. 379. et 504 sqq. Cf. Cat. Rac. Quaest. 106.

Haec Socini interpretatio ita arrisit sectatoribus ejus, ut ad unum omnes cupide eam arriperent, etiam doctissimi, inter quos nominamus *Wolzogenium*, *Schlichtingium* et adhuc strenue defendatur in libr. recentissimo, quasi symbolico: *Summa universae Theologiae Christianae secundum Unitarios*, *Claudiopol. 1787.* pag. 130.

decretum duntaxat et destinatum sit. (Socini Opp. Tom. II. pag. 379. col. 2. Cf. Cat. Rac. Quaest. 176.) Hactenus de effatis, quibus praecipue Christi *aeternitatem* ecclesia contra Socinianos defendit. At quibus encomiis Sacra Script. Jesum Christ. *imaginem dei inconspicui* (Col. 1, 15.) *et characterem hypostaseos ejus* (Hebr. 1, 3.) dicit aut *plenitudinem divinitatis* (τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος) (Col. 2, 9.) tribuit, ea nec ad naturam divinam nec virtutes divinas demonstrandas aliquid illis faciunt. Nam *imaginem dei* Christum nuncupari volunt, quoniam per eum voluntas divina patefacta sit. (14) *characterem* autem hypostaseos ejus, quia deus, quidquid nobis promiserit, iam re ipsa in eo exhibuerit. Ad postremum autem locum observant; vox haec *divinitas* designare potest voluntatem dei eamque orationem cum apostolus opponat non personae, sed philosophiae et legi, hinc perspicuum est, eam de doctrina Domini Jesu non de persona accipi. (!) *Operationibus divinis* adnumerantur creatio et gubernatio mundi, quas ex sententia ecclesiae orthodoxae Filio S. Scriptura tribuit. Adtendendum est prae caeteris ad Joh. 1, 3, 10. Col. 1, 16. Hebr. 1, 2. At Sociniani opponunt: Joh. 1, 3. non legi ἐκτίσθη, sed γέγονεν neque voc. πάντα universe accipiendam esse, sed ad

(14) Cat. Rac. Quaest. 174. Socinus non plane eadem profert in Opp. suorum Tom. II. pag. 377. nam, „quoniam, inquit, dei non solum voluntatem erga nos, sed gloriam quoque, illam exacte, hanc, quatenus mortalibus licet, in Christo videmus et contemplamur, deusque se totum in Christo expressit, idcirco Christus expressa imago seu character substantiae dei dicitur“.

subjectam materiem restringendam, ut ea tantum omnia complectatur, quae quoquo modo ad Evangelium pertineant; esse enim Evangelium ejus loci omninoque totius illius descriptionis subjectam materiam. Additis vero ab Evangelista verbis καὶ χωρὶς — γέγονεν significari, quamvis istius generis quaedam et quidem maximi momenti, per ipsius apostolos sint facta v. c. gentium vocationem, ceremoniarum legis Mosaicae abolitionem, tamen per ipsummet Filium dei omnia facta esse, cum ista originem suam habeant a verbis et factis Christi nec sine ejus virtute et auctoritate ad effectum sint perducta. Versu autem 10. voce κόσμος, quae ter ibi repetitur, eodem ubique sensu sumpta, in verbo ἐγένετο hebraicum loquendi modum agnoscunt, quo fieri dictum sit pro conservari; aut factum pro reffectum; itaque sententiam exsculpunt: Jesum Christum conservasse genus humanum, alioquin periturum vel illud instaurasse h. e. aeternae morti adjudicato atque obnoxio aeternam vitam adtulisse. Aut voc. κόσμος, ter diverso sensu accepta, primo loco hominum civitatem in terris, altero immortale illud saeculum, quod expectemus quodque per Christum, quatenus ad nos pertineat, factum sit, tertio denique loco homines carnales et variis cupiditatibus implicitos, significari volunt. (15) Quae eadem est ratio interpretandi Hebr. 1, 2. ubi vox οἱ αἰῶνες, quos auctor Epistolae a deo per Christum factos esse docet, nihil illis est, nisi mundus futurus, quem dicunt, s. saeculum futurum. Hanc explicationem eo magis recipien-

(15) Soc. Opp. Tom. I. pag. 657. 658. Cat. Rac. Quaest. 128.

dam esse putant, quod ipsa vox, οἱ αἰῶνες, aeternitatem, quam speremus, et qua futurum saeculum contineatur, quodammodo ob oculos ponat ⁽¹⁶⁾ Atque sibi constantes memorabilem illum locum Col. 1, 16. obvium ita explicant, ut de prima, quae dicitur, creatione non agatur, sed de nova, qua per Christum omnia sint renovata s. reformata. Quapropter ea quoque, quae de Jesu vers. praecedente praedicantur, esse *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, ad id referunt, quod omnes alias novas creaturas non dignitate tantum, sed tempore etiam antecedit. ⁽¹⁷⁾ Denique quod a Christianis ecclesia, Joh. 5, 23. Phil. 2, 23. et aliis Scripturae dictis permota, efflagitat, ut divino *cultu* Christum prosequantur, id Socinianorum decretis, si paucos eorum exceperis, haud repugnat; nam ipsi quoque se ad divinum honorem Domino exhibendum, non quidem, quod ecclesia vult, propter ejus naturam divinam, sed sublimem potestatem, obstrictos esse profitentur. ⁽¹⁸⁾

Perlustratis iis locis, quibus imprimis innixi orthodoxi decreta sua de Filio defenderunt, quaeque Socinianis prorsus alia continere videbantur, paucis, quid ipsi de eo senserint, delineemus, necesse est. Secundum eos *Christus natura non est deus, sed homo, in virginis utero et sic sine viri ope, divini Spiritus vi conceptus et formatus, patibilis et mortalis, dum munus a deo ipsi demandatum hic in terris obibat. Ante initum autem hoc munus in coelum est raptus; perfecto eo,*

(16) Soc. Opp. Tom. II. pag. 597.

(17) Soc. Opp. Tom. II. pag. 596. Cat. Rac. Quaest 133.

(18) Cat. Rac. Quaest. 233 et seqq.

in coelum iterum adscendit, atque non solum impatibilis et immortalis factus est, sed etiam, accepta propter summam erga deum obedientiam potestate maxima, deus evasit. (19)

At Spiritum S. non esse personam aliquam a deo distinctam cum aliis argumentis tum eo probare conantur, quod nusquam in S. Scriptura expresse deus vocetur, contra multa eorum, quae ei tribuantur, nulla prorsus ratione personae conveniant, quo referas, quod a scriptoribus ss. *dari* dicatur idque aut secundum mensuram aut absque mensura, *effundi, augeri, exstingui* et similia (20); sed, urgentes etymon voc. *πνεῦμα*, dei vim et efficaciam, quae secum sanctitatem aliquam adferat, intelligunt, quem significatum in omnibus sacris testimoniis tumentur, in quibus ecclesia actiones Sp. S. personales invenisse sibi visa est. (21)

(19) Soc. Opp. Tom. I. pag. 654 et seqq.

(20) Cat. Rac. Quaest. 371. De neganda personali, quam dicunt, divinitate Spiritus S. Socinus proluxa disputatione tractat in Opp. suorum Tom. II. pag. 620.

(21) Soc. Opp. Tom. I. pag. 652.

His ita praemissis indicimus Vobis, Cives carissimi, sacra, quae instant, pentecostalia, optantes ex animo, ut Vosmet ipsi Vobiscum reputetis, quid his diebus, qui summa et sanctissima beneficia a deo in genus humanum collata in memoriam nobis revocant, divinarum rerum cultores deceat. Valete.

P. P. vigiliis Pentecost. MDCCCXXXI.

in *um adscendit, atque non solum impatibilis et*
 in *us est, sed etiam, accepta propter summam*
 erg *entiam potestate maxima, deus evasit.* (19)
 non esse personam aliquam a deo distin-
 ctam cu *entis tum eo probare conantur, quod nus-*
 quam in *xpresse deus vocetur, contra multa eo-*
 rum, quae *nulla prorsus ratione personae conve-*
 niant, quo r *a scriptoribus ss. dari dicatur idque*
 aut secundum *absque mensura, effundi, augeri,*
extingui et sim. *urgentes etymon voc. πνεῦμα,*
 dei vim et efficaciam *m sanctitatem aliquam adferat,*
 intelligunt, quem s *omnibus sacris testimoniis*
 tumentur, in quibus ec *Sp. S. personales invenisse*
 sibi visa est. (21)

(19) Soc. Opp. Tom. I. pag. 60.

(20) Cat. Rac. Quaest. 371. De n *quam dicunt, divinitate*
 Spiritus S. Socinus proluxa *ctat in Opp. suorum*
 Tom. II. pag. 620.

(21) Soc. Opp. Tom. I. pag. 652.

His ita praemissis indicimus Vobis *imi, sacra,*
quae instant, pentecostalia, optantes *Vosmet*
ipsi Vobiscum reputetis, quid his diebus, *sanctis-*
sima beneficia a deo in genus humanum c *oriam*
nobis revocant, divinarum rerum cultores *ete.*

P. P. vigiliis Pentecost. MDCCCXXXI.

